

T H E S I S P R I M A,



Nter omnia illa, quæ homo, *φύσιν ζῶον πολιτικόν*, in huius vitæ communionem merito singulari studio anquirat expetit & prosequitur, etiam amicitia locum haud postremum vendicare sibi videtur.

I I.

Ea namq; tum dignitate tum iucunditate pollet, maxima; & commoda plurima non minus quam amplissima vitæ humanæ suppeditat.

I I I.

Aristotele teste Eadem aut virtus ipsa, aut cum virtute coniuncta, eiusq; usus & fructus est. 8. Eth. Nic. c. 1.

I I I I.

Tantopere insuper necessaria, ut in omni fortuna, prospera iuxta & adversa, illam plurimum indigeamus. 8. Eth. Nic. c. 1.

V.

Facit enim Ipsa, ut lautioribus instructi divitijs suam erga egentiores amicos *εὐεργεσίαν* exercere queant; atq; ut ab his illi mutua recipiant beneficia. 8. Eth. Nic. c. 1.

V I.

Omni etiam ætati illa commodat, juvenes à lapsuum & vitiorum devijs ad viam virtutis revocando; senum imbecillitatem subsidiariâ juniorum operâ suffulciendo; virorum præclaras virtutum actiones in lucem & conspectum producendo. 8. Eth. Nic. c. 1.

A 2

Nulla

Encomion
on huius
doctrinæ

Illius di-
gnitas;

Necessi-
tas;

Utilitas;
& primū
ratione
hominū,
diversa-
rum for-
tunarū.
Secundò
diversarū
ætatum.